





DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
RETENTIONE PIGNORIS  
TAM OB EADEM  
QVAM OB DIVERSA,  
*1780, 2.*

QVAM  
ANNVENTE NVMINE DIVINO,

EX  
CONSENSV AMPLISSIMI ORDINIS IVRECONSVLTORVM,  
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,

P. 192  
PRAESIDE  
DOMINO  
D. WALTER VINCENT WIESE,

IVR. PROF. PVBL. ORD. FACVLT. IVRID. SEN.  
ET P. T. DEC.

PROMOTORE SVO LONGE HONORATISSIMO,  
ANNO MDCCCLXXX. DIE XXI. MARTII,

PVBLICO IN AVDITORIO

HORA CONSVETA

DEFENDET  
AVTOR ET RESPONDENS

IOHANN CHRISTIAN SCHROEDER,  
ROSTOCHIENSIS.



ROSTOCHII,  
TYPIS ADLERIANIS.

DISTINGUISHED  
LAW OF  
PIONEER

SENATVI SPLENDIDISSIMO  
INCLYTAE  
CIVITATIS ROSTOCHIENSIS,  
VIRIS  
MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS,  
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
ATQVE PRUDENTISSIMIS,  
DOMINIS  
CONSULIBVS,  
SYNDICIS,  
SENATORIBVS,  
PROTONOTARIO ET  
SECRETARIO,  
CIVITATIS PATRIBVS OPTIME MERITIS  
ET  
PATRONIS SVIS, OMNI, QVO PAR EST,  
CVLTV COLENDIS

SENATI ET STYLINDESSIMO  
INCIVITATIS  
CIVITATIS, HOC, DUCHENSIS  
VIRORUM  
QVID QVID EST  
LABORIS ACADEMICI,  
ATQVE TRADENTIAS  
I  
DEBITAE SVAE VENERATIONIS ET REVERENTIAE  
MONUMENTVM,  
SACRVM ESSE CVPIT  
TANTORVM VIRORVM  
IOHANN CHRISTIAN SCHROEDER.

5

# CANDIDO LECTORI SALVTEM!

Necredas hic invenire specimen summae eruditionis, et opus ingenio et labore viri in iure periti confectum; falleris sane, et nimium honoris in me imbecillum confers. Est a tirone tantum elaborata dissertatio, quae hic prostat, a tirone, qui dum primos tantum academicos superavit annos, quidquid vires valeant, in lucem edere conatur. Sed nonne taxabis, quod conatus scribendi me iuvenem iam capiat, qui iuris inconsultum ipse me profiteor? Nonne me culpabis, dum publica specimina exhibeo, quae exhibere viri tantum est doctissimi? Sed reddam tibi rationes tuo submittendas iudicio. Per biennium in patria academia studio iuris invigilavi, et quantum pro viribus meis fieri potuit, theoreticam iuris ideam mihi comparare operam dedi, sed admodum studia mea promovit excellentissimus Dom. Praeses, qui ceteris suis praelectionibus addidit exercitium disputatorium, quod et mihi, et qui huic mecum interfuerunt commillionibus, ansam praebuit, tam elaborandi theses nonnullas iuridicas, quam de elaboratis disceptandi.

A 2

Hac

R.



Hac in re itaque me privatim versatum, publice nunc dissertationem exhibere, et publico in auditorio eam defendere, excitavit excellentissimus Dom. Praeses, maximopere colendus, dum ipsi innotuit, me ad Academiam Georgiam-Augustam modo profecturum esse. Haec est unica et genuina ratio, quae ad implendum nonnullas paginas, et ad submittendum impletas placido tuo examini, me impulit ac permovit. Ast abest omnis pruritus scribendi, et quaevis appetitio autorem salutari. Accipe itaque hanc disputationem bonam in partem, nec suffoca rigori censura, studendi germina, quae in pectore seminata, hic primum dehiscere incipiunt. Non deerunt quidem, quae merito censurae subiacent; ast cum recenseri non solent, nisi scripta doctorum, ego sane iudicium iusto acrius timere non possum, qui ordini eruditorum nulla adhuc ratione me annumerare sustineo, quum amplum iuris campum nondum pervasi, sed a limine istum tantum salutavi, in posterum vero, volente Deo, proprius accessurus. Si itaque has paginas perlustrans deteges, quae minus placent, memor esto iuvenilis ardoris, et memor exiguae peritiae, quam mihi comparare hucusque potui. Meliora forsan exhibebit aetas maturior et experientia sollertia. Vale faveque.



DE  
RE TENT I O N E P I G N O R I S,  
T A M O B E A D E M  
Q V A M O B D I V E R S A.

§. I.

*Introductio.*

Admodum haesitavi in eligendo materiam, sed multum agitatus in retentione pignoris animus haesit; qua de re ante me equidem iam scriptum est, partim vero hanc materiam invenio non exhaustam, partim tali modo non tractatam, quali de ea agere mecum constitui. Sine ulteriori introductione itaque statim ad rem ipsam me conferam; primum vero generalia quaedam de pignore praemitturus ero, quorum applicatione in sequentibus carere non possum.

§. 2.

## §. 2.

*De trino pignoris et hypothecae significatu.*

Vox *pignus*, uti inter omnes constat, in triplici sumitur sensu; modo enim denotat contractum realem, quo in significatu ad quatuor contractus reales refertur, modo rem oppignoraram, modo ius in re, et quartam speciem iuris in re exhibet. Sed de hypotheca procul dubio aliter erit sentiendum, quam inter *pignus* et hypothecam permultas quaerunt differentias iuris DD; sed me judice in eodem triplici sensu sumitur vox *hypothecae* a), quo vocem pignoris accipi iam scimus; sumitur enim pro contractu pignoratio in l. 1. §. fin. ff. de *patti*, et in l. 4. ff. de *pign.* et *hypoth.* pro re oppignorata in l. 7. ff. de *distr. pign.* et pro iure in re fere ubique, ut exempla allegare superfluum esset. Si itaque hypothecae idem est significatus, qui est pignori, haec quoque verba pro se invicem substituere licebit, et hinc inde prono alveo fluit, *pignus* et hypothecam amplius non differre quam sonu vocis b).

a) Conf. BOEHMER in diss. de diverso pignoris et hypothecae iure §. 2.

b) l. 5. §. 1. ff. de *pigu.*

## §. 3.

*De differentiis inter pignus et hypothecam allegari solitis.*

Investigamus atramen differentias, quas inter *pignus* et hypothecam vulgo volunt intercedere DD. Primum enim perhibent, quod hypotheca nudo pacto constitui possit, *pignus* vero non nisi accidente traditione. Sed quum haec verba pro se invicem substituere licet, de hypotheca tradenda et de pignore nudo pacto contrahendo bene quoque dici potest, dum et hypotheca plenique traditur per instrumenta, in quibus constituta est, et *pignus* nudo pacto contrahere licet a). Addunt porro, quod *pignus* a creditore, hypotheca autem a debitore naturaliter possideatur. Quum vero res oppignorata modo *pignus* modo hypotheca appellatur, phrasin improbare nequos, qua creditor dicatur hypothecam, et debitor *pignus* possidere, quamvis negare non

9

non possim, multum interesse, utrum a debitore, an a creditore  
res oppignorata naturaliter possideatur, maxime secundum Ius  
Lubecense et Rostochiense, secundum quod creditor, qui pi-  
gnora tenet, semper securus est, nec moto concursu credita pro-  
fiteri tenetur <sup>b)</sup>. Deinde et differentiam in eo quaerunt, quod  
ex hypotheca derur actio hypothecaria realis, ex pignore pigno-  
ratitia personalis; haec vero differentia iterum per substitutionem  
verborum evanescit. Accedit adhuc, quod ex pignore (si hac  
voce rem oppignoratam a creditore naturaliter possessam desi-  
gnare vis,) quoque oriatur actio hypothecaria, si forsan creditor  
eius possessionem amiserit <sup>c)</sup>; sicut ex hypotheca (dum rem op-  
pignoratam a debitore naturaliter possessam hac voce accipis,)  
actio pignoratitia quoque datur debitori, qui, posteaquam hypo-  
thecaria actione conventus creditori possessionem hypothecae  
concessit, hypothecam, debito soluto, repeteret vult. Plures  
adhuc pignoris et hypothecae proferuntur differentiae, in eo  
consistentes, quod pignori pactum antichreticum adiici possit,  
non hypothecae; quod possessor pignoris ad culpam levem tenea-  
tur, a qua vero creditor hypothecarius immunis sit; quod vasallus,  
qui sine consensu domini feudum pignori dat, feloniae sit reus,  
non vero si hypothecam constituit; quod furtum possessionis  
a debitore committi possit, qui pignus dedit, minime autem ab  
eo, qui hypothecam contraxit. Sed hic ratio differentiae in  
diversa pignoris et hypothecae natura sita non est, sed potius in  
possessione naturali rei oppignoratae, quae modo apud credito-  
rem, modo apud debitorem est. Quum ergo differentiae, quas  
allegant, nullius sunt momenti, et hypotheca et pignus inter se  
revera non differunt, ab uno quoque ad alterum argumentum  
trahi potest <sup>d)</sup>. Si itaque in statuto quodam speciali, constitu-  
tio pignoris sub poena amissionis prohibita est, tunc quoque hy-  
pothecam constituere interdictum erit, quia de nexu pignoratatio  
lex est accipienda, nisi aperte contrarium ex ratione legis colligi  
possit; nam et hic semper cavendum est, ne a pignore vere tra-  
dito ad non traditum concludarur. Praeterquam et hic moneri  
meretur, ad contrahendam obligationem pignoratitiam minime  
opus esse expressa pignoris vel hypothecae mentione, nam et  
verba aequipollentia hic sufficiunt, modo appareat, debitorem  
consensisse, ut res sua creditori securitatem praestet.

B

a) 1.

- a) I. 1. pr. ff. de pign. act. et 1. 2. C. de remiss. pign.  
 b) Conf. Ius Lub. P. 3. tit. 4. et Ius Rostoch. Lib. 3. tit. 4. art. n.  
 c) §. 7. I. de Actionib.  
 d) I. 7. pr. ff. de distract. pign. ibiqu. Gotbofr.

### §. 4.

#### *Divisio pignoris praemittitur.*

Constitutio pignoris sive hypothecae vel ntitur fide publica, vel privata; in casu priori pignus appellatur publicum, in posteriore privatum; id quod iterum vel testamentarium <sup>a)</sup>, vel conventionale est, prout consensu unius vel plurium contrahitur. Pignus publicum, si voluntate partium contrahitur, voluntarium audit, si non, necessarium; illud vel constituitur in iudicio <sup>b)</sup> apud acta consensu debitoris, vel coram tribus testibus masculis <sup>c)</sup>, et vocatur quasi publicum sive testimoniale. Pignus necessarium vel a lege constituitur, vel a iudice; illud legale <sup>d)</sup>, hoc iudiciale nominatur, et est vel praetorium, vel iudiciale in specie; priori iudex coeret contumacem in non comparendo vel non cavendo, posteriori rem iudicatam exequitur. Praeterea pignus vel unam tantum rem, vel omnia afficit bona, prius dicitur speciale, posterius generale, et iterum est vel simpliciter, si omnia bona debitoris indistincte obligantur; vel secundum quid, si pignus tantum omnia bona eiusdem generis afficit.

- a) I. 26. ff. de pign. act. Dubitarunt nonnulli, an in testamento quoque pignus constitui possit, cum pignus sit contractus, contractus autem in testamento celebrari nequeat; sed admodum errarunt, nam constitutio pignoris, quae sit in testamento, non fit per modum contractus, sed ultimae voluntatis et legati; et hoc eodem modo accidit, ac in correis, qui aequo in testamento ac in conventione constitui possunt,

- b) Hanc constitutionem coram iudice incompetentem fieri posse, nemo dubitat, cum est actus voluntariae iurisdictionis merae, et iudicis autoritas hic solummodo adhibetur, ut fides sit eo minus suspecta; altioris autem indaginis est quaestio, an haec constitutione iudice in propria causa et coram propriis actis valeat? quod affirmo cum BEKEKRO in diss. de potestate personae publicae in se ipsum Th. 29. seq.; duo hic causas occurunt, vel bona alterius iudicii oppignorantur, vel eius bona alterius; sed in utroque, sit ne index creditor an debitor, non causae cognitio sed iudicis autoritas requiritur, quam et in te propria semper interponere licet, si id, de quo agitur, voluntariae est iurisdictionis merae; omnis quoque fraus hic aberit, modo ab actuario oppignoratio publicis actis rite interatur.

e) Sunt

- c) Sunt et qui hic testimonium feminarum admittere voluerunt, dum non solemnitas sed veritatis causa testes hic adhiberi dicunt; huic autem sententiae calulum adiudicare nequeo, quae aperte vim infert legi.  
ii. C. qui pot. in pign.
- d) Hoc a nonnullis iterum in purum et mixtum dividitur, quorum prius sola lege et nullo plane facto eius praecedente, in cuius bonis competit, constitui petibent, posterius praeter legem facto hominis tacite contrahit, ut per illationem in praedium urbanum. Sed haec distinctio merito negligitur, prout sine omni usu practico est; quinimum coccii in Iure Controv Lib. XX. tit 1. qu. 4. defendit, quod in casu locati praedii urbani, pignus non exfacto illationis, sed ex sola lege oriatur, cum factum tantum sit conditio, sine qua lex non disponit,

### §. 5.

#### *De retentione pignoris.*

Inter ea, quae creditori ratione pignoris competunt, quoque referendum est ius retentionis, de quo hic loci speciatim erit agendum. Est vero retentio remedium ex lege competens, vi cuius rem alterius, a nobis rite possessam, tam diu ei denegare possumus, donec nobis satisfecerit. Ad hanc retentionem legitime exercendam requiritur, 1) ut res sine vitio ad retinentem pervenerit <sup>a)</sup>; 2) ut debitum sit certum et liquidum, hoc est ut constet, quid, quale, et quantum debeatur <sup>b)</sup>; 3) ut adsit lex, quae retentionem permittat. Qui enim sine lege retentionem exercet, sibi ipsi ius dicit, cum morosum debitorem ad solvendum compellit, ius suum contra invitum perseguitur, et denegetam debiti solutionem sine iudice extorquet <sup>c)</sup>. Quae si ad pignora applicas, facili negotio perspicies, quando hoc possit retineri, si saltim id notas, quod legitima pignoris constitutio sit conditio, sine qua pignus nunquam retineri possit, quod porro pignus modo ob diversa modo ab eadem retineatur.

a) MEVIVS P. 9. D. 43.

b) LEYSER in med. ad ff. sp. 175. m. 3. et 4.

c) Exinde quoque sequitur ut leges, quae retentionem permittunt, ad causas non expressas non sint extendendas; qui enim ius sibi ipse dicit, vim infert, vis autem a lege vocatur, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per iudicem efflagitat l. 13. ff. quod met. causs. Quid vero magis saluti publicae contrariatur, quam impune vim exercere iniustum? si ergo princeps e. g. ius retentionis in debito paro et liquido permittit, ad

conditionatum et illiquidum lex non est extendenda. Qui contrarium asserunt, provocant ad l. 12. ff. de vi et vi armat, quae retentionem generaliter permittere videtur; hos vero iam refutavit Heister in diss. de *Inre Retentionis* §. 30. schol 2.

### §. 6.

#### *Quodnam pignus retinere licet.*

Priusquam vero ulterius progredior, inquire adhuc lubet, utrum in omni, an in quadam tantum pignoris specie retentioni locus sit; ut ego opinor, retentio in omni pignore legitime constituto locum sibi vindicat, sive pignus sit publicum, sive privatum; sive necessarium, sive voluntarium; sive traditum, sive non traditum. De pignore non tradito dubitari videtur, dum, quae quis non habet, retinere nequit; lubenter equidem largiar, ipsam rem oppignoratam retineri non posse, attamen res mea salva est; creditori enim competit ius in pignore, licet traditum non sit, et hoc ius creditoris durat, quamdiu debitor non solvit; retinet ergo ius in pignore, donec solutione debitoris tollitur, et si vocem pignus pro iure in re assumis, quod licet per §. 2. bene quoque de creditore, retentionem in pignore non tradito exercente, dicere potes. Porro et in pignore legali sive tacito retentio locum habet, uti exemplum occurrit in illatis conductoris, quae retinere licet; item in uxore, quae bona mariti tam diu retinet, usque dum dos ipsi restituta sit. Denique in pignore judiciali retentio datur, ut et in praetorio, itemque in arresto, quod nonnullis hic refertur.

### §. 7.

#### *Pignus retineri nequit, cuius possessio ex alia caussa translata est.*

Neminem sibi ipsi caussam possessionis mutare posse, notum est, quam quod notissimum. Si itaque rem alterius ex alio quadam contractu e. g. ex locato conducto possideo, et postea in eius bonis pignus obtineo, ita ut quoque haec res mihi oppingatur, rem conductam in pignus ipsem mutare nequeo; si enim hoc facerem, pignus propria autoritate occuparem, quod vetum

tum est <sup>a)</sup> , adeoque nec rem conductam retinere licebit , cum possessio vitiōse translata est . Rem adhuc exemplo illustrabo ; pupillus titulo commodati tener rem pretiosam a Titio ; post ali- quod tempus Titius creatur tutor pupilli , qui hoc modo pignus tacitum in omnia bona Titii nanciscitur ; attamen pupillus rem commodatam , ut oppigneraram retinere nequit , si forsitan Titius , tutelam prave administrando , de bonis suis eum fraudet , et ab illo commode suum consequi nequeat pupillus ; semper enim ut commodatarius possidet , nec caussam commodati in pignoris caussam ipsem mutare valet , adeoque nulla ex pignore illi com- perit exceptio , quam Titio commodatum reposcenti opponere posset . Pupillus omnino quidem gaudet iure pignoris in re com- modata , minime vero exinde colligendum est , ut quoque iure retentionis in re ipsa commodata pollear ; res enim ut pignus tradita non est , quod necessario requiritur .

*a) 1. 13. ff. quod met. cant.*

### §. 8.

*An redēptioni pignoris praescribi possit?*

Pignus tam diu retinetur , donec reluitur , id quod debitori semper integrum est , cum luitio pignoris praescriptioni minime subiacet <sup>a)</sup> ; creditor enim ante solutionem a debitore factam pignus nullomodo praescribere potest <sup>b)</sup> , bene tamen per distra- ctionem impedire , ne debitori luitio amplius pateat . Dum ergo redēptioni pignoris praescribi plane non potest , exinde sequi videtur , ut relivere pignus sit res merae facultatis ; ast quum res merae facultatis omnibus communes sunt , et quae ex contractu pendent , ad iura omnibus communia referri nequeunt , et ego sane luitionem pignoris pro re merae facultatis habere non possum .

*a) 1. 10. et 12. C. de pign. act.*

*b) Quinimmo et post solutum debitum LEYSERVIS sp. 155. m. 9. et sp. 462. m. 19. creditori denegat praecriptionem , quia semper ut creditor possi- det , et caussam possessionis ipsem mutare nequit .*

### B 3

### §. 9.

## §. 9.

*Pignus ob eadem potest retineri, hinc ob usuras  
et impensas.*

Si quis cum effectu pignus relivere vult, primario totum debitum exsolvere debet, ante cuius integrum explotionem, actio pignoratitia non datur <sup>a)</sup>; ast hoc quoque soluto, attamen creditor ei potest opponere retentionem, et primum quidem ob eadem, sive ob talia debita, quae cum re oppignorata connexa et propter eam contracta sunt; hinc sorte soluta, ob usuras datur retentione pignoris <sup>b)</sup>, et solutione sortis cum usuris praesita, ob impensas in rem oppignoratam factas, iterum retentione potest exerceri; sicuti enim creditor ad culpam levem tenetur, et, id quod boni patris familias est, pignus conservare, et eius deteriorationem omni quo potest modo avertere debet, pro qua diligentia merito indemnus servandus est, hinc pro impensarum restitutione ei largitae sunt leges retentionem <sup>c)</sup>. Cave tamen, ne ob alias impensas retentionem creditor i concedas, nisi ob necessarias et utiles; tantum enim abest, ut ob voluptuarias pignus retineat, ut ne quidem harum refusionem a debitor exigere possit; si tamen sine rei corruptione id, quod voluptuarii impedit, tollere potest, hoc licet, ne cum ipsis damno debitor locupletior fiat. Si vero debitor pacto sibi prospexit, ut ipso invito et inscio creditor non liceat, ne minimum quidem in pignus impendere, et creditor hoc non obstante quid impedit, consensu debitoris non adhibito, distinguendum est, utrum impensae fuerint necessariae, an modo utiles; in casu posteriori retentione non competit, cum ne quidem sumptus harum impensarum ei sunt restituendi; in casu priori non obstante hoc pacto, retentioni locus erit; debitor enim impensas necessarias prohibere nequit <sup>d)</sup>, cum et sua et reipublicae interest, ut res existentes conserventur.


<sup>a)</sup> Hoc adeo verum est, ut, si a pluribus oppignoratio facta est, pignus ad effectum repetitionis pro parte non liberetur, sed potius usque ad totam solutionem retentione exerceri possit, conf. SCHOEPFER in *Synops. Iur. Priv. Lib. XX. tit. 6. §. 2.* et BOEHMER in *trait. de Action.* S. 2. C. 8. § 35. n. 3.

<sup>b)</sup> 1. 8. §. 5. ff. de pign. act.

<sup>c)</sup> c. l.

<sup>d)</sup> LEYSER sp. 156. m. 4.

§. 10.



### §. IO.

*Ob damna occasione pignoris data retentioni  
locus est.*

Si forsitan dolo vel culpa debitoris <sup>a)</sup> creditor e re oppigno-  
rata damnum passus sit, illi quoque retentio non erit deneganda;  
nam ad hoc damnum resarcendum illi data est actio pignoratitia  
contraria, et in quantum competit actio contraria, in tantum  
ceteris paribus, quoque competit retentio ob eadem <sup>b)</sup>.

<sup>a)</sup> Creditor tenetur ad culpam levem, quum contraclus pignoratius aequa-  
liter in utriusque contrahentis commodum tendit. Sunt quidem, qui  
ad culpam levissimam creditorem obligare volunt ex arg. legis 13. §. 1.  
*ff. de pign. act. sed parum concinne: conf. M E N K E N in tract. de Actio-*  
*nib. Forens. S. 2. C. 2. Memb. 5. §. 8.*

<sup>b)</sup> *I. 18. §. f. ff. commodati.*

### §. II.

*An retentio pignoris ob diversa aequa sit?*

Si debitor ea quoque debita solvere vult, quae cum pignore  
connexa sunt, fieri tamen potest, ut pignus ob debitum non con-  
nexum, quod ei nullo modo inhaeret, retineatur. Antequam  
vero ex legibus hoc deducam, de nihilo non erit, adhuc exami-  
nare, an quoque aequum sit, pignoris retentionem ob diversa  
permitttere, cum eo ipso retinenti vis et potestas datur sibi ius  
dicendi (§. 5.). Attamen quantum ego video, retentio ob diversa  
aequitati convenit, cum 1) nostra omnino interest, rem potius  
retinere, quam actione persequi <sup>a)</sup>, 2) illi, cui actio datur, multo  
magis exceptio sive defensio conceditur <sup>b)</sup>; accedit 3) quod iure  
Romano alicui quidem exceptio, sed non actio data fuerit, quod,  
uri notum est, tunc contingebat, si nudo pacto alicui quid promis-  
sum fuit, cui in lege retentio permittebatur <sup>c)</sup>.

<sup>a)</sup> *I. 59. ff. de furzis; inde proverbium vulgare: in manibus ist gut latein.*

<sup>b)</sup> *I. 156. §. 1. ff. de R. I.*

<sup>c)</sup> *I. 51. ff. de cond. indeb.*

### §. 12.



### §. 12.

*An retentio pignoris ob diversa licita sit et lege  
permissa?*

Licet aequum sit, retentio pignoris ob diversa permettere, attamen iniustum erit, sine expressa legum permissione eam exercere (§. 5.). Lex autem non deficit, ad quam retinens provocare possit; sic adest *l. un. C. etiam ob chirogr. pecun.* quae retentio pignoris ob diversa permittit; quamvis multum inter se contendant DD. utrum secundum mentem meam haec lex sit accipienda, cuius sensum plane pervertunt, et an non magis secundum *l. xi. §. 3. ff. de pign. ast. et l. 3. C. de luit. pign.* pronuntiandum sit, quippe quae leges pignoratitiam actionem admittunt, simulac id solutum est, in quod pignus obligatum fuit. Sunt iterum, qui credunt *l. un. C. etiam ob chirogr. pec. derogare l. xi. §. 3. ff. de pign. ast.* quibus verum *l. 3. C. de luit. pign.* obstat. Sunt et qui leges citaras in eo conciliare intendunt, quod existiment, *l. un. C. de casu loqui si duplex sors in pignus credita sit, in l. xi. §. 3. ff. autem de una sorte et de usuris sermonem esse.* Sunt qui adhuc aliter sentiunt, qui verum me iudice egregie fallunt, et legislator sequenti modo commode potest salvari.

### §. 13.

*Quomodo retentio pignoris ob diversa a lege permissa sit?*

Legem un. *C. etiam ob chirogr. pecun.* si accurate perpendis, expressis verbis cautum invenies, non simpliciter retentio pignoris ob diversa licitam esse, sed eo tantum casu, si creditor summam, in quam ipsi pignus obligatum fuit, a debitore acceptare non vult, ni simul quoque id, quod aliunde debet, solvat; tunc enim tam diu competit retentio, usque dum debitor una de omni aere alieno creditori satisfecit, et haec est genuina mens legis unicae alegatae, cuius verba subiungere necesse duco. *Si in possessione fueris constitutus, nisi ea quoque a debitore tibi redatur, vel offeratur, quae sine pignore debetur, eam restituere propter exceptionem doli mali non cogeris.* Iure enim contendis, debitores eam solam pecuniam, cuius nomine ea pignora obligaverunt, offerentes, audiri

*audiri non oportere, nisi pro illa etiam satisfecerint, quam in suam simpliciter acceperunt.* Si vero creditor pecuniam, quam pro pignore debitor offert, acceptat, pignus amplius retineri nequit; soluto enim eo, in quod datum fuit, tota quoque pignoris obligatio extincta est, et omne ius creditoris in pignus definit, ita ut tunc sine causa possideat <sup>a)</sup>, et de hoc casu sermo est in *I. 11. l. 3. ff. de pign. adit. et in l. 3. C. de luit. pign.* Duo enim casus hic distingundi sunt; vel creditor acceptat pecuniam, quam pro solo pignore debitor offert, vel acceptationem recusat, donec et alia sua debita simul offerat. In casu posteriori, pignus creditor retinere et debitorem exceptione doli mali repellere potest; debitor enim vult, ut creditor servet promissa a sua parte et pignus ex contraetu restituat, ast ipse debitor promissis a sua parte stare non vult, cum solutionem debiti chirographarii non praefstat, merito ergo illi obstar doli mali exceptio. In casu priori, retentio evanescit, cum pignus liberatum est, et debitor actione pignoratitiae directa eius restitutionem exigere valet <sup>b)</sup>, cui exceptio neim retentionis creditor opponere nequit, dum retentio lege non est munita; accedit adhuc, quod acceptatione solius debiti pignoratitii beneficio legis unicae renunciasset videatur.

- a) Haec distinctione, quamvis ex verbis legis abunde liqueat, a plurimis tamen negligitur, qui retentionem pignoris indistincte ob diversa admittunt. conf. BOEHMER in *Introd. in Ius Dig. tit. de pign. §. ult. LEYSER sp. 175. m. 7. et LODOVICI in diff. de retentione ex diversa etiam causa competente; sed e contrario egregie cam exposuit de COCCETI in Iure Controv. Lib. XX. tit 1. qn. 17.*
- b) Idem obtinet, si loco pignoris quis fideiussorem accipit, tunc enim pignus statim repeti potest, quod ab omni nexus pignoratitio liberatum est, et sine causa a creditore possidetur.

### §. 14.

*An res aliena pignori data retineri possit?*

Iam ad ulteriore iuris retentionis in pignore explicatio nem progredior, et primum examinatus sum, quenam res oppignorata ob diversa retineri possit. In re aliena, consentiente domino, pignus bene potest constitui, et oppignoratio aequa valida est, ac si res propria debitoris in pignus obligatur <sup>a)</sup>, ergo

C

et

et iidem effectus, qui huic pignori inhererent, pignori in re aliena, consensu domini constituto, attribuendi sunt, hinc et ob diversa contra debitorem retinere licebit; et si ipse dominus, cuius consensu obligatum est, pignus reluere vellet, ipsi idem ac cuiilibet tertio, qui pro debitore solveret, exceptio retentionis ob alia debita debitoris obstaret; quinimmo creditor ne quidem liberationem pignoris, quamvis totam, a tertio, invito et inscio debitore, acceptare debet, cum praestita aut oblata debiti solutione, debitor semper actione pignoratitia eum convenire potest; ast si quoque debitor in redemtione pignoris a domino facienda consentit, attamen creditor salva manet retentionis. Ponamus vero casum, quod debitor rem alienam ea conditione oppignoraret, si sua facta fuerit <sup>b)</sup>; tunc creditor ante conditionem existentem nulla retentione se tueri valer, cum ne ius quidem in re oppignorata consequutus est, quod adhuc sub conditionis eventu suspensus fuit; nec ullam tale pignus praestat securitatem, quum domino vindicanti nulla fere opponi potest exceptio, nisi forsitan ob impensas, si in bona fide constitutus est creditor; simulac vero debitor dominium rei pignori datae acquirit, creditor et securus erit, et exceptione retentionis ob diversa munitus. Idem porro dicendum est, si inscio domino et creditore, res aliena a debitore obligatur, qui postea eius dominium impletat, cum huic semper obstat regula, quem de evictione tenet actio, hunc agentem repellit exceptio. Si citra voluntatem domini res aliena oppinguatur, hoc non obstante, datur retentionis ob diversa contra debitorem, qui propriam turpitudinem pro se allegare nequit; attamen creditore ignorasse oportet, rem esse alienam; si enim sciens eam accipit, vitiouse possessionem pignoris consequitur <sup>c)</sup>, hinc et retentioni locus esse non potest. Ceterum hic quoque notari meretur, quod, si debitor, qui rem alienam pignori posuit, postea eam reluere cupit, relutio ex hac ratione a creditore recusari nequeat, quod rei dominus non sit <sup>d)</sup>, contractus enim pignoratius obligat contrahentes, non habita dominii rei oppignoratae ratione, sunt autem primarii huius contractus effectus, ut debitor pignus redimere, creditor autem, soluto debito, illud reddere teneatur, hinc sub praetextu dominii alieni retentionis locum invenire nequit. De remediosis, quae domino competunt, rem suam ab alio oppignoratam recuperandi, res ita se habet.

Si

Si netpe cum suo consensu oppignoratio facta est, actione pignoratitia utili agere potest e), ast valide illi creditor opponet exceptionem retentionis ob debita oppignorantis tam pignoratitia quam chirographaria, in quam retentionem quoque dominus, eo ipso quod debitor concederit, rem suam oppignorare, consensisse videtur. Si contra voluntatem domini res oppignorata est, vindicationi locus erit, cui retentionem creditor oppnere nequit. Si vero dominus putat, pignus in re sua, sine ipsius consensu constitutum valere, et ad rem suam recuperandam pignus ipsemet luit, solvendo id, in quod oppignoratum fuit, hanc summam a creditore condicione indebiti repeteret nequit f); dedit quidem ex errore, sed in iure erravit, et error iuris nocet. Supponitur tamen, creditorem tempore oppignorationis nescivisse, rem esse alienam; si enim hoc scivit, et a dominio nihilominus lutionem accipit, summam solutam condicione furtiva dominus potest repeteret g). Supponitur porro, creditorem tempore relutionis sat computatum habere, rem a non domino fuisse obligatam, et reluentem verum eius dominum esse.

- a) Si mulier ab alio res suas pignori tradi patitur, effectu destituta erit oppignoratio, si deficit renunciatio S. C. Velleiani l. 32. s. 1. ff. ad S. C. Vell.; aut auth. si qua mulier C. ad S. C. Vell, si a marito res uxoris in pignus obligatae sunt l. 5. C. ad S. C. Vell.
- b) l. 16. §. 7. ff. de pign.
- c) Quinimmo qui sciens rem alienam pignori accipit, furti tenetur, conf. Grot. thoft. ad l. 36. ff. de cond. indeb.
- d) l. 9. §. 4. ff. de pign. act.
- e) Conf. MENKEN in tract. de Actionib. Forens. S. 2. C. 2. Memb. 5. §. 4.
- f) l. 36. ff. de cond. indeb.
- g) cit. l. 36. ff. de cond. indeb.

### §. 15.

#### *De re in tantum aliena.*

Quando a debitore res quaedam obligatur, cuius dominium illi tantum pro parte, pro parte aliis competit, vel horum quoque consensum in oppignorationem adhibuit, vel non. Si prius, valide pignus constitutum est, et retineri omnino licet. Quid vero? num licebit ob unius tantum oppignorantis debita aliunde orta

C 2

pignus

pignus retinere, an ob debita omnium pignoris dominorum? Mihi hoc casu distinguendum videtur, num debitor nomine interessantium communi, an unice tantum suo nomine pignus dedit et contraxit. In casu priori, ob cuiuslibet condominorum debita diversa pignus retineri licebit, cum horum quivis pro parte debitor est, et *lex un. alleg.* indistincte contra debitorem retentionem ob diversa admittit; alioquin etiam iam scimus, quod uno solvente pignus a retentione non liberetur <sup>a)</sup>. In casu posteriori, vel condomini expresse oppignorationem eorum nomine prohibuerunt, quamvis ob commodum commune eam nomine solius oppignorantis cupide desiderarint, et tunc saltem contra solum contrahentem retentionem ob diversa competit, contra condoninos enim, quos ignorat, eam exercere plane impossibile est <sup>b)</sup>; vel condonini iussurerunt rem omnium nomine oppignorare, et tunc certe dolose agit contrahens, qui nihilominus rem proprio nomine pignori tradit, quippe post solutionem integrum a contrahente praefitam creditor equidem amplius pignus retinere nequit, ast si postea condoninos cognoscit, quorum aliunde quoque creditor est, actione doli mali contrahentem convenire potest ad consequendum id quod interest, adeo ut, si hic solvendo non est, restituzione in integrum gaudeat creditor <sup>c)</sup>. Haec de casu si condonini in oppignorationem consenserunt; sed restat adhuc de eo quoque differere, si quis rem, cuius tantum pro parte dominus est, sine condonorum consensu pignori tradit; et tunc contra pignorantem valide pignus potest retineri, quem si eam ex fundamento deficientis consensus condonorum impedire velleret, propriam turpitudinem allegaret; præterea pro parte hic rite constitutum est pignus, quem debitor contrahens pro parte quoque dominus est, hinc et condoninis agentibus obstaret exceptio retentionis pro parte in pignore ob debita contrahentis competentis, et non aliter quam per solitum de communi dividendo iudicium pars condonorum ab omni retentionis nexu liberanda esset.

<sup>a)</sup> Confer. dicta ad §. 9. in not. a.

<sup>b)</sup> Ast si creditor hoc casu comperiret, quis præterea rei dominus sit, retentionem contra condoninos equidem exercere non posset, quibuscum non contraxit, bene tamen condoninos actione doli mali convenire ad reparandum damnum, quod inde passus est.

<sup>c)</sup> Si

- e) Si ante relutionem a debitore factam creditor quoque cognosceret condonios, una cum eo quod ad horum mentem oppignoratio communi nomine facta non sit, attamen retentione contra condonios non gauderet, quippe quibuscum contractus pignoratius celebratus non est.

### §. 16.

#### *De re per mandatarium obligata.*

Res aliena porro a mandatario oppignoratur, qui vi mandati cam in pignus obligat, quaeritur ergo, quid hoc casu circa ius retentionis iustum sit? Si mandatarius nomine alterius rem pignori dat, res dubio caret, tunc enim ob debita mandantis retentio datur; sed non adeo clarum est, si rem mandantis proprio nomine obligat mandatarius; tunc enim vel in hoc consentit debitor sive mandans, vel non. Si prius, mandatarius loco debitoris est, qui per mandatum quasi constituit dominus rei oppignorandae; iubendo enim mandatarium, rem tanquam suam proprio nomine obligare, mandans eo ipso in consequencias consentit, quae tunc, si a mandatario res mandantis ut propria oppignoratur, necessario eveniunt, hinc quoque ob mandatarii debita diversa creditori retentio non est deneganda <sup>a)</sup>, praeter hunc enim creditor alium debitorem nec noscit nec agnoscit. Si posteriorius, cum nempe circa mandantis voluntatem mandatarius rem proprio nomine pignori apponit, retentio quidem ob debita mandatarii non vero mandantis locum inveniet, cum mandante enim contractus pignoratus initus non est; ast dolose hic egit mandatarius, hinc ab utroque, qui inde damnum sentit, conveniri potest, a creditore actione pignoraria contraria, et a mandante actione mandati directa.

- a) Cum regressu mandantis adversus mandatarium res ita se habet; aut enim mandatarius tempore oppignorationis creditori iam aliquid debuit, vel minus; si illud, vel mandantem de hoc debito certiore fecit, vel non fecit. Hoc casu actione dolii mali tenetur mandatarius. Illo casu mandans sibi imputet, si damnum inde sentit. Si vero mandatarius tunc, quem rem mandantis pignori dedit, creditori ex nullo capite obligatus fuit, et postea eius debitor factus est, iterum distinguendum est, utrum dolose egerit, nec ne, et in illo non in hoc casu conveniri potest a mandante.

## §. 17.

*Quando pignus pluribus obligatum ob diversa retineri possit?*

Fieri potest, ut debitor unam rem licite pluribus pignoratio[n]i nexus obliget, et tunc oritur quaestio, cuinam competat ius retentionis? Alioquin beatus habetur possessio[n], cuius in pari causa melior est conditio, ast in pignore alia obtinet regula, nimurum qui prior est tempore, posterior est iure<sup>a)</sup>. Interim probe distinguendi sunt casus sequentes. Si creditor unam rem duabus oppignorat, vel illi simul tradit, cui primo eandem obligat, vel non tradit. Si prius, secunda pignoris constitutio fit vel primo creditore pignus adhuc possidente, vel non. Illo in casu contra debitorem principalem a priore creditore retentio ob diversa omnino potest exerceri, qua vero statim destitutus erit, si creditor posterior iure offerendi uititur, quo et ipso priore creditore invito uti valet<sup>b)</sup>, licet huic ius praelationis in pignore competit; posterior enim creditor offerens priori debitum pignoratum, chirographaria debita debitoris principalis nec exsolvere nec offerre tenetur, sicuti expressis verbis cauum invenimus in *I. un. cit.* Quod in secundo creditore locum non habet, nec enim necessitas ei imponitur, chirographarium etiam debitum priori creditori offerre. Hoc in casu, si nimurum primus creditor possessionem pignoris amittit, et pignus iterum ad debitorem reddit, hoc vel creditore consentiente vel eo invito factum est; si illud accidit, remissum censemur pignus<sup>c)</sup>, ni de voluntate conster contraria, quippe si ad festivitates vel alias usus solennes reddidit, ex tali enim restituione remissio inferri nequit; in casu verum simpliciter restitutio[n]is factae, ius quoque pignoris remisisse creditor presumitur<sup>d)</sup>, et debitori liberam dedisse potestatem, rem denuo cum effectu oppignorandi, ita ut secundus creditor omnino retentione uti possit. Quod si vero primus creditor invitus possessione rei oppignoratae privatur, eamque debitor recuperat, sive bona sive mala fide, iterumque alteri creditori pignori tradit, hic retentione contra debitorem se defendere valet; in utroque enim casu oppignoratio rite facta est, et res ad novum creditorem valide peruenit, quamvis in alterius praeiudicium, modo ipse novus creditor

creditor in bona fide constitutus sit; ast etiam tunc illi ius retentio-  
nis non proderit, simulac a primo creditore hypothecaria actione  
convenitur <sup>e)</sup>, quippe qui ius potius haberet, quod per novam tra-  
ditionem pignoris secundo creditor i factam illi adimi nequit <sup>f)</sup>,  
hinc et potentiori cedere debet novus creditor, salvo tamen re-  
gressu contra debitorem ipsum. Sin autem primo creditori pi-  
gnus non traditum est, sed secundo debitor id tradidit, tunc aut pri-  
mo creditori competit pignus generale aut speciale; si illud, secun-  
dus creditor contra debitorem retentione tutus est, et primum  
credитorem hypothecaria agentem exceptione excusсionis repellit,  
usque dum debitor adhuc habet, in quod excusio fieri possit;  
si hoc, adversus debitorem iterum pignus retinere licebit, quam-  
vis stellionatus reus sit <sup>g)</sup>; dolose enim agentibus leges nunquam  
succurrunt; ast primo creditori agenti, hoc casu nil opponere  
potest, nisi forsitan exceptionem consensus in ulteriore oppigno-  
rationem.

a) I. 12. §. f. ff. qui potior. in pign.

b) I. 1. C. qui por. in pign.

c) I. 3. ff. de pac. I. 7. C. de remiss.

d) Hic velim notes, quod creditor, si modo in novam oppignorationem  
consentiat, non pignas sed solam prioritatem remittat, L E Y S E R / p. 223.  
m. 3.

e) Ad ducentum §. 7. I. de Actionib.

f) I. 12. §. f. ff. qui potior. in pign.

g) I. 3. §. 1. ff. de Stellionat.

### §. 18.

*An instrumentis oppignoratis retentio ob diversa  
competat?*

Per oppignorationem instrumentorum res ipsa, de qua  
instrumenta agunt, oppignorata censemur <sup>a)</sup>; oritur hic ratione  
iuris retentionis quaestio, an instrumento oppignorato retentioni  
ob diversa locus sit? et duo sunt potissimum casus, qui hic oc-  
currunt; instrumenta enim vel nomen, vel rem quandam conti-  
nent. Licitum esse rem sibi debitam oppignorare, inter omnes  
constat, debitor enim qui hoc agit, eo ipso creditori nomen ce-  
dit <sup>b)</sup>, cuius securitas in facultate exigendi debitum consistit <sup>c)</sup>,  
quin.

quinimmo cessione nominis creditor i nomen tradit, cedere enim in iuribus idem est, ac tradere in corporalibus <sup>d)</sup>. Retentio ob diversa in nomine oppignorato creditor ex nullo capite potest abnegari, quae vero ita exercetur, ut exactionem nominis debitori tam diu deneget creditor, donec omnia solvat debita, hinc si creditor nomen exigit, expirat ius retentionis <sup>e)</sup>, quamvis id quod exacto nomine praeter debitum pignoratuum accipit, cum debito chirographario compensare possit <sup>f)</sup>. Instrumenta debendi creditor iure pignoris retinere nequit, cum non instrumenta, sed nomen in iis contentum obligatum est; sed quum illorum, ad probandam nominis cessionem, indiger, sine caussa certe ea non possidet, ut et conditione repeti nequeant, hinc quoque creditori licebit instrumenta tam diu retinere, quamdiu nomen retinet, et quidem in vim tantum probationis non vero pignoris. In casu altero, si non de actione, sed de re quadam corporali instrumenta agunt, iterum legitime facta est pignoris constitutio. Casus tunc accidit, si per instrumentum contractus emi venditi fundus emtus oppignoratur <sup>g)</sup>; retentio enim ob diversa hic aequa ac in eo casu exerceri potest, si in instrumento debendi creditor res suas pignori ponit. Quomodo autem haec retentio exerceri potest, infra §. 32. exponere locus erit. Instrumenta in utroque casu tam diu retineri possunt, quamdiu pignus retinetur,

a) LEYSER sp. 223. m. 4.

b) Per text. express. l. 7. C. de hered. vend.

c) Cautus hic sit creditor, ne debitor cedens spem suam fallat, hinc debitorum cessum hac de oppignatione, reddat certiorum, quo ipso illi facultas admittitur, cedenti solutionem praestandi.

d) LEYSER sp. 527. m. 1.

e) Item expirat, si dies venit, et debitor cessus solutionem vel praefstat vel offert.

f) Nec lex Anastasiana obstat, quum creditor cessionarius minime fraudulenter egit, qui nomen summae maioria in pignus accepit, maiorem enim tantummodo sibi procuravit securitatem, quam procurare omnino licet, praefixa quaevis fere res oppignorata summam crediti excedere solet.

g) Hac de re in terminis loquitur l. 2. C. quae res pign. et conf. BRYNNEMANN ad b. l.

§. 19.

§. 19.

*An in re debitoris mei debitoris mihi competit retentionio  
ob diversa?*

Debitoris mei debitorem, meum non esse debitorem, regula per quam vulgata est, <sup>a)</sup> ast cum grano fatis intelligenda; spectat enim solummodo obligationem personalem, nec ad bona debitoris mei debitoris pertinet, quae mihi omnino obligata sunt; id enim, quod mihi debetur, quoque meum est, quod ergo meo debitori debetur, quoque suum est, hinc si id, quod suum est, mihi obligavit, et debitoris' sui bona mihi oppignorata sunt <sup>b)</sup>. Attamen ut hic distinctionem facias oportet; pignus enim, quod a meo debitore mihi constituitur, vel generale est, vel speciale; si prius, omnia eius bona et totum eius patrimonium mihi obligatum est, sub quo et nomina comprehenduntur, hinc in hoc quoque casu id, quod debitori meo debetur, revera mihi pignori constitutum est; si posteriorius, iterum vel singulam rem, vel nomen in securitatem crediti dedit debitor; si illud, nil ad me attinet, quod debitori meo debetur, cum ultra rem oppignoratam ius pignoris non extenditur; si hoc, mihi ut cessionario, modo pignus in bonis debitoris mei debitoris competit, modo non competit, prout nominis obligatio, vel pignoratitia, vel nude chirographaria est. Positis his, prono quoque alveo fuit, debitorem mei debitoris valide mihi pignus constituere posse, si debitor meus omnia sua bona aut nomen mihi obligavit; in utroque enim casu verum debitum praeeexistit, cui pignus accedere potest. Pari modo ex antedictis iam apparent, quid hic circa retentionem iuris sit; si enim in bonis debitoris mei mihi competit pignus generale, et debitor mei debitoris mihi pignora dedit, ea contra eum omnino retinere possim, usque dum id quoque solvit, quod sine pignore debet; ast ob debita principalis mei debitoris hoc casu retentionem exercere nequeo; simulac enim debitor mei debitoris omne solvit, quod mihi debet, pignoratitia actione contra me agere valet, nec exceptione retentionis me defendere possim, cum pignus minime pro eo dedit; quod suus creditor mihi debet, sed pro eo, quod ipsem de suo debet; nec ipse debitor meus principalis hoc pignus mihi obligavit, sed eo duntaxat me securiorem redit,

D

didit,

didit, ad id consequendum, quod per suum debitorem solvi voluit. Idem dicendum, si in casu nominis a meo debitore mihi oppignorati, debitoris mei debtor pro debito in nomine contento mihi pignora dat, tunc enim contra debitoris mei debitorem, ast non contra debitorem principalem datur retentio ob diversa.

a) l. 44, ff. de condic. indeb.

b) Si ulteriorem huius asserti probationem desideras, vid. COCCIVM in Inre Controv. Lib. 44. tit. 7. qu. 7. qui plena manu hac de re egit.

### §. 20.

*Pignus valide retinetur ob diversa, cuius possessio actione hypothecaria acquisita est.*

Creditor, qui hypothecaria actione pignus sibi constitutum persequitur, eiusque naturalem possessionem obtinet, plerumque quidem pignus distrahit; quod si vero pignus est res frugifera, et creditor ex fructibus solutionem sibi comparare intendit, quaeritur, an quoque hoc pignus ob diversa retineri possit? Rationes pro negativa me plane fugiunt, cum omnia hic adsint, quae ad legitimam pignoris retentionem requiruntur. Praeterea ad casum pignoris constituti, post institutam actionem hypothecariam demum traditi, ipsa l. un. cit. spectare videretur, verbis: *si in possessione fueris constitutus.* Evidem hic fere semper, invito debitore, pignus traditur, ast exinde virtum oriri nequit, cum per iudicem suppletur, quod debtor facere recusat, et constitutio legitime cum consensu debitoris facta est, licet, eo invito, postea pignus traditum sit.

### §. 21.

*An distracto pignore retentio adhuc locum inveniat?*

Facultas pignus distrahendi ad ea quoque iura pertinet, quae creditori in re oppignorata concessa sunt, et haec distractio duplici modo expeditri potest, vel judicialiter, vel extrajudicialiter. Si per iudicem creditor pignus vult distrahi, rem oppignoratam in iudicium exhibet, cum petito de distrahendo, si post factam denunciationem debtor intra terminum a iudice praefigendum pignus

pignus non reluit; quod si debitor nunc solvere cupit, retentio ob diversa creditoris deneganda non est, quamvis in iudicio pignus depositum sit, modo creditor tempore depositionis haec debita diversa iudicii ipsius indicaverit <sup>a)</sup>; hoc enim omisso, retentioni ob diversa renunciassae videtur. Si vero debitor iussum iudicis de reluendo pignore et solvendo debito negligit, pignus distrahitur, et index ex pretio redacto creditoris satisfacit. In distractione extrajudiciali ipse creditor accipit premium, et sibi met ipsi solvit, primum id, quod in pignus credidit, et deinde id, quod aliunde debitor debet; hinc creditor hyperocham retinere dici nequit, bene tamen ex hyperocha sibi solutionem debiti chirographarii praestare. Distracto pignore, sive judicialiter, sive extrajudicialiter, et aut soluto pretio, aut praestita securitate pro solvendo pretio, omnia iura creditoris in re oppignorata exspirant <sup>b)</sup>, ita ut quoque retentio evanescat. Exemplo rem illustrabo. Immobile debitoris pignori mihi traditum est, debitor pignus non luit, et ego judicialem impetro distractionem; emtor deponit premium in iudicio, et traditionem immobilis postulat, frustra tunc ad ius retentionis convolare; emtor enim e momento subhastationis iam ius est quae situm in re emta et judicialiter addicta, in qua ex eodem momento omnia mea iura soluta sunt; nec obiciere possum, mihi premium nondum solutum esse, hoc enim distribuere iudicis est.

a) Quo factō, iudicis est debitori intra terminū praefixum solutionem debiti tam pignoratitii quam chirographarii sub poena distractionis inungere.

b) LEYSER sp. 236, m. 3.

### §. 22.

*Quid iuris circa retentionem ob diversa, si plures res pignori traditae sunt?*

Si plures res pignori appositae sunt, hoc vel una vice, vel diversis temporibus factum est; illo in casu, omnes res simul possunt retineri, donec et debita diversa soluta sunt; causa pignoris est enim individua, nec creditor, qui pro parte solutionem accepit, partem pignoris reddere tenter <sup>a)</sup>; hoc in casu, plura revera pignora constituta sunt, quae confundi non debent, hinc si debitor

unum pignus relivere vult, creditor ei quidem potest opponere retentionem ob diversa, minime vero ob debita alia pignoratitia<sup>b)</sup>; de eo enim sat securus est creditor, pro quo pignora possidet; unica tamen adest exceptio, si nimirum reliqua pignora minus idonea sunt, et securitati satis non consilunt, tunc enim ob debita ex his pignoribus datur quoque retentio<sup>c)</sup>. Constat enim, quod si pignoris valor ad explendam summam crediti non sufficit, id quod ex pretio in pignore redacto solvi nequit, pro debito chirographario habeatur, licet in pignus creditum sit; ob debita autem chirographaria permisum est, retentionem exercere.

a) l. 19. ff. de pign. Hoc §. 13. contradicere videtur; ubi retentionem non aliter admittendam esse dictum est, quam si creditor pecuniam pro debito pignoratitio non aliter acceptat, ni simul etiam id, quod aliunde debetur, offeratur; sed res mea salva est; solutionem totius debiti pignoratitii creditor non debet acceptare, qui retentionem exercere vult, quia tunc actione pignoratitiae debitor pignus repete potest; quum vero haec actio non competit, nisi debito in rotum soluto, partem solutionis creditor bene potest acceptare, et nihilosecius uti retentionem ob diversa,

b) Conf. l. un. C. etiam ob chirog. verbis: nisi ea quoque a debitore tibi reddatur vel offeratur (pecunia), quae sine pignore debetur.

c) conf. B V N N E M A N N ad l. un. cit n. ii.

### §. 23.

*An secundus creditor pignus ob diversa retinere possit?*

Creditor pignus sibi obligatum iterum alii potest oppignorare, ita ut in regula secundus creditor omnia iura primi creditori in re oppignorata consequatur. Duxi in regula, nam in retentione iam exceptio adestr. Duplici autem modo retentio secundi creditoris accidere potest. Eam enim vel contra debitorem, vel contra primum creditorem exercere vult; illo in casu, non datur per verba expressa l. 40. §. 2. ff. de pign. adt. secundi pignoris, neque persecutio dabitur, neque retentio relinquetur; et debitor, simulac primo creditori solvit<sup>a)</sup>, pignus a suo creditore iterum obligatum, actione pignoratitiae seu potius rei vindicatione<sup>b)</sup>, dum in dominio se fundat, repetrere potest; resoluto enim iure dantis, resolvitur ius accidentis. Hoc in casu, si primum creditor secundo relutionem pignoris offert, ab hoc omnino pignus

pignus potest retineri ob ea, quae sine pignore primus creditor debet. Primus vero creditor, licet rem sibi oppignoratam iterum pignori dederit, atramen contra debitorem, ob subsistentem contractum pignoratum et continuatam possessionem civilem, retentionem ob diversa potest exercere. Cautela itaque pro creditore primo est, ut a debitore sibi promitti curat, ne hic creditoris creditoris solvat, quod alias debitori integrum est c).

Praeter dictum casum secundi creditoris, omnis creditor, qui modo sine vitio possessionem pignoris acquirit, retentione ob diversa se defendere valet, sive sit privatus, sive fiscus, sive persona moralis, quibus eadem circa retentionem iura sunt d).

a) Secundo creditori solvere non tenetur, bene tamen ei solvere potest, l. 6. ff. de dolii mali et met. except. ibique *Gothofr.* et tunc nequidem totam summam creditori exsolvere debet, si hic dolosus minus in pignus credit, quam ipse debet, et hoc quidem ob generalem rationem legis Anastianae, conf. *LEYSER* sp. 155. m. 7. Porro si primus creditor in maius pignus obligavit, debitor pignus vindicare potest, si modo quod ipse debet solvit, conf. *BRUNNEMANN* ad l. 1. C. si pign. pign. datur n. n. et creditori secundo de eo, quod minus accepit, regressus contra creditorem primum erit.

b) Conf. *BOEHMER* de Actionib. S. 2. C. 8. §. 33. n. g.

c) *STRYK* in *Caut. Cont.* S. 4. C. 1. §. 3.

d) Quid? si quis affirmaret, a debitore quoque retentionem pignoris exerceri posse, nugari videtur; sed audiatur tamen: Mevius pignus tradit Sempronio, qui cum peregrine abit, id apud Mevium depositum; Mevius culpa Sempronii damnum ex deposito sentit, et quem Sempronius rediens pignus repetit, Mevius opponit exceptionem retentionis ob damage culpa Sempronii data; qua cum certe audiendus erit, quod et ego lubenter concedo, si modo rursum concedis, retentionem minime ex iure pignoris sed ex deposito competere.

### §. 24.

*An et quatenus a successore creditoris retentio ob diversa exerceri possit?*

Successori creditoris pro diverso modo succedendi diversa quoque competunt iura, merito itaque distinguendum est inter successorem universalem, qui in omnia bona antecessoris succedit, et singularem, qui in pignus tantum succedit. Ille ob omne, quod antecessori debetur, tam ex pignore quam sine pignore,

retentionem exercere potest; heres enim post aditam hereditatem repreäsentat personam defuncti, et exinde illius quoque creditor est, cui defunctus crediderat. Et quod adhuc magis est, heredi ob id, quod ipsi debetur, retentionem denegare non possum, cum per aditionem hereditatis creditor pignoratius in pignoribus a defuncto relictis evasit, et ex permisso legis quilibet creditor pignoratius pignus retinere potest, ob id quod sine pignore ipsi debetur. Si vero defunctus plures reliquit heredes, omnes pignus retinere possunt, tam ob id quod defuncto, quam ob id quod singulis debetur, quum credita et debita inter coheredes ipso iure divisa sunt, et coheredum quisquis pro sua parte creditor pignoratius est; itaque tantum ob partem sibi pro rata competentem de eo, quod defuncto debetur, ob omne autem quod sibi sine pignore debetur, retentione utri valet quilibet heres. Facta autem divisione et addicto pignore uni coherendum in specie, hic unice, exclusis ceteris, retentionem ob id, quod sibi aliunde debetur, exercet <sup>2)</sup>, licet tantum ob partem eius, quod debitor defuncto debuit, eam exercere possit, nisi illi quoque integrum debitoris debitum in divisione addicatum esset. Successor singularis pignus ob diversa retinere nequit, nec ob id, quod antecessori, nec ob id, quod sibi sine pignore debetur. Prius concludo ex argum. l. 40. f. 2. ff. de pign. act. ubi creditor titulo pignoris, qui est singularis titulus, in terrum pignus transfert, cui retentionem exercere interdictum est. Posterius per se iam pater, dum successori pignus obligatum non est; nec enim successor singularis per successionem in ius autoris ius retentionis, quippe quod ad iura personalissima, creditori tantum concessa, pertinet, sequutus est, nec antecessoris personam repreäsentat. Porro et hic debitor non aequo dolose agit, ac si ipsi creditori debita chirographaria solvere nollet, qui bis fidem suam sequutus est, et bis ei credidit; successor enim chirographaria tantum credit debitum, haud vero pignoratia; denique creditor et successor magis in dolo versari videntur, dum ad producendum ius retentionis ob diversa successionem moliti sunt, et hinc arctius debitorem obligare volunt, quam ex natura contractus iam obligatus est. Praeterea perquam inutilis successori pignoris translatio erit, cum descente denunciatione debitor successori solvere nullo modo obligatur, qui simul ac ipsi creditori solutio-

solutionem praestitit, actione pignoratitia contra eum experitur; ast denunciatione facta et agnitione a parte debitoris subsecuta, statim cum priori creditore omnis nexus pignoratitus tollitur, et successor singularis eius in locum ita succedit, ut non solum ob id, quod ex pignore sed quoque ob id, quod sine pignore sibi debetur, retentione uti possit <sup>b)</sup>.

a) Conf. SCHAVMBG. Compend. Dig. Lib. 10. Tit. 2. §. 7. v. fin.

b) Applica haec ad cessionem et videbis, deficiente agnitione debitoris, retentionem ob diversa cessionario nunquam competere.

### §. 25.

*An contra fideiussorem, qui pignori accedit, retentio ob diversa exerceri possit?*

Si pro uno debito creditor pignora et fideiussorem accepit, et contra fideiussorem ad debiti solutionem agit, hic creditori agenti valide opponet exceptionem cedendarum actionum, nimurum ut creditor, priusquam solvat fideiussor, in hunc transferat pignora et actiones suas personales et reales, et antequam hoc factum sit, fideiussor ad solvendum compelli nequeat <sup>a)</sup>; hinc inde quoque fluit, creditorem, qui a fideiussore sibi praestari vult solutionem debiti, retentionem ob diversa exercere non posse, quum a fideiussore nil antequam solvitur, quam cessione pignoris facta. Probe hic tamen distinguendum est inter debita sine accessione fideiussoris contracta vel pignoratitia, vel chirographaria; si enim creditor in idem pignus, cui fideiussor accessit, adhuc praeter accessionem fideiussoris, quidquid credidit, fideiussor solutionem offerens, haec quoque debita offerre tenetur, dum creditor pignus cedere non obstrictus est, antequam in totum liberatur, hinc quoque usque ad praestationem horum debitorum pignoratiorum contra fideiussorem darur retentio; si vero id, quod sine accessione fideiussoris creditum est, tantum est debitum chirographarium, fideiussori solutionem debiti pignoratitii offerenti retentio pignoris nullo modo potest opponi <sup>b)</sup>, quippe retentio ob debita chirographaria unice tantum contra debitorem competit. Fideiussor, qui soluto debito, et cessione

a creditore facta, pignus possidet, contra debitorem retentionem ob diversa exercere nequit, cui ut successori singulari retentio concessa non est, nisi agnitus a parte debitoris accesserit.

a) l. 2. C. de fideiuss. et mand.

b) BRYNNEMANN ad l. 2. C. de fideiuss. et mandat.

### §. 26.

#### *De retentione contra filiumfamilias, qui mutuum accepit.*

Si filiusfamilias mutuam pecuniam accipit, et pro credito pignora dat, obligatio pignoratitia ipso iure nulla est, ita ut rem oppignoratam statim vindicare possit. Ast si paterfamilias factus pignora dedit pro mutuo, quod ut filiusfamilias accepit, vel pignora rata habuit, quae ut filiusfamilias constituit, obligatio omnino subsistit <sup>a)</sup>, attamen retentio non datur ob ea, quae ut filiusfamilias adhuc aliunde debet, cum tantummodo pro quantitate pignoris debitum exsolve tenerur <sup>b)</sup>. Verum enim vero hoc merito sequenti modo restringendum est. Primum retentionem ob eadem creditori denegare iniquum foret, cum ob ea tantum exercetur, quae ratione pignoris illi debentur, et quae actione pignoratitia repetere potest. Porro et ipsa retentio ob diversa tunc admitti debet, si paterfamilias factus pro mutuo, in statu filiifamilias acceperit, pignora dedit, et aliunde adhuc ut paterfamilias debita contraxit; tunc enim cessat ratio S. C. et regula communis applicatur, contra debitorem pignus ob diversa retineri posse. Denique et tunc retentio ob diversa locum inventiet, si plura debita, quamvis a filiofamilias contracta, adiungit, in quibus S. C. Maced. cessat, quippe si pro patrefamilias dolose se gesit; si debita chirographaria ut paterfamilias denuo agnovit; si pecunia credita in rem suam verfa est; si alias res, quam numeros debet, modo non sit in fraudem legis, et q. s. r.

a) l. 9. pr. ff. ad S. C. Maced.

b) l. c.

### §. 27.

## §. 27.

*Num contra eum retentio exerceri possit, qui pro alio pignora dedit?*

Iam supra §. 14. de casu dictum est, si cum consensu domini quis rem alterius pignori dat; sed longe aliter se res habet, si ipse tertius pro meo debito rem suam in pignus obligar, et hoc duobus modis contingere potest; vel enim tertius pignora, quae pro meo debito constituit, obligationi meae chirographariae insuper addit, vel eorum constitutione eandem plane tollit <sup>a)</sup>). Priori in casu, fideiussio concurrit, dum ad maiorem creditori comparandam securitatem, tertius per pignora pro me intercedit, et ipsem ex pignore solvere promittit, si obligationi meae non satisfaciem; manet itaque debitum meum, manetque chirographarium uti antea, nec pignoribus alterius in pignoratium transformatur, obligatio autem fideiussoris, quae in subsidium competit, pignoratitia est <sup>b)</sup>). Iam exinde liquet, quid de retentione hic dicendum sit; contra me enim plane exerceri non potest, cum ex pignore non debeo, ast contra tertium fideiubentem pignus retinere omnino fas erit, et non modo ob mea debita vel a me vel a fideiussore praestanda, sed quoque ob ipsius fideiussoris debita chirographaria; fideiussor enim re vera est debitor pignoratius, cum ex pignore solvere promisit, licet sint debita alterius, hinc et restitutionem pignoris desiderare nequit, antequam et id solvit, quod proprio nomine deberet; haec vero retentio tunc statim expirat, si ipsem mea debita exsolvo; nam soluto, eo, in quod obligatum est, pignus liberatur, et actione pignoratitia a fideiussore repeti potest. Posteriori in casu, si nimurum pignoribus suis tertius meam plane tollit obligationem, delegatio subest, hinc inde et persona debitoris et tota debiti natura mutatur; expromissor enim in locum meum succedit, et debitum antea nude chirographarium transit in pignoratium. Retentio pignoris contra me neutiquam datur, cum nec ex pignore et nequidem sine pignore debeo; obligatio enim mea in rotum sublata est <sup>c)</sup>), quam in se expromissor suscepit; ast contra expromissorem retentioni omnino locum relinquo, quippe qui per delegationem contractum init pignoratium, cuius hic est

E

effectus,

effectus, ut ob debita debitoris tam pignoratitia quam chirographaria pignus retineatur, hinc in casu delegationis non tantum ob debita mea, quae per expromissionem iam debita expromissoris pignoratitia facta sunt, quam ob debita quoque expromissoris aliunde orta, competit pignoris retentio. In utroque casu, tam si fideiubendo, quam si delegando, pro debito meo tertius pignora ponit, maior in creditorem transfertur securitas, et meum promovet commodum; attamen in delegatione melior est creditoris conditio, dum solutione mea retentionem ob diversa evertere nequo, et ego quoque maius lucrum exinde haurio, dum obligatio mea in totum exspirat.

- a) Ex verbis contractus colliges, utrum pignora alterius uni tantum ex meis debitis accedant, unumque tollant, an pluribus accedant, pluraque tollant; verba enim dant legem contractui.
- b) Fideiustor hic quoque provocatione *ex 1. si contendat 28. ff. de fideiust.* sibi consulere potest, non tamen aliter hoc remedium competit, quam si provocans exceptionem habet, quae provocato non agente peritura est.
- c) Quinimmo et me invito liberatio contingit; conf. BOEHMER in *Intr. ius Dig.* P. 2, p. 494. §. 8.

### §. 28.

#### *An contra carentem detur retentio ob diversa?*

Debitum diversum, ob quod pignus retinendum erit, vel liquidum est, vel non. Si illud, et debitor ad luendum pignus se offert, et pro eo, quod sine pignore deber, cautionem praestare vult, non audiendus est; is enim, cui parata solutio deberetur, cautionem recipere non tenetur<sup>a)</sup>, et minus sane offert, qui pro pecunia cautionem offert<sup>b)</sup>, hinc et contra cavere volentem hoc casu datur retentio ob diversa<sup>c)</sup>. Si hoc, et debitor cautionem offert, ne pignus ob diversa retineatur, carenti pignus merito restituendum est; retentio enim est instar compensationis, quae ob illiquidam non datur<sup>d)</sup>; pro illiquidis enim, donec liquida fiunt, nil amplius quam securitas debetur, quae in cautione praestatur<sup>e)</sup>; hinc quoque sequitur, ut in quaestione, an cautio retentio tollat? ante omnia ad debiti qualitatem et certitudinem respiciendum sit, ex quibus dijudicari potest, utrum cautio admittenda sit, nec ne. Nec sufficit, ad debitum illiquidum efficien-

ciendum, ut debitor liquiditatem neget, sed nihilominus datur retentio, si debitum talibus instrumentis nititur, quae nuda negatione non infirmantur. Praeterea si per creditorem non sit, quo minus debiti liquidi natura elucescat, sed potius per debitorem factum est, quod exceptio liberationis non admodum clara sit, pro liquido debitum habetur f), et retentionem creditor exercere valet, quamvis cautio oblata sit.

- a) l. 4. §. 3. ff. de re iud.
- b) l. 5. §. 1. ff. de statu lib.
- c) Exceptio est in pignore antichretico, in quo fructus non usuras solum; sed etiam sortem absorvent; licet enim hic debitum aliunde ortum liquidum sit, cautione praefixa retentio tamen non datur ante redditus rationes de fructuum perceptione; nam verofimile est, exinde ipsis iam satisfactum esse, et si forsitan quid desit, per cautionem creditoris satis prospicitur. M E V I V S P. 8. D. 437.
- d) LEV S ER sp. 178. m. 4.
- e) Nec admittenda est cautio iuratoria, quippe quae non aliter locum inventit, quam si alia praestari nequit, aut melius creditoris prospectum non sit; hic vero per ipsam rem caveri potest, hinc cautio iuratoria a retentione non liberat. M E V I V S P. 9. D. 47.
- f) M E V I V S P. 3. D. 369.

### §. 29.

*Num contra successorem debitoris retentio detur ob debita antecessoris?*

Cum ius in pignore ad ius reale pertinet, in re oppignorata unice quoque securitas creditoris fundata est. Si enim debitor in tertium iura transfert, quae in pignore illi competunt, hoc sit vel titulo universalis, vel singulari; si prius, successor universalis in locum antecessoris succedit, cuius cum debita idem ac credita acquirit, retentionem quoque admittere deberet, quam ob debita chirographaria antecessoris creditor exercet; si vero posterius, singularis quidem successor ea tantum iura obtinet, quae in pignore autor habebat, hinc non nisi ad solvendum debitum pignoratitum obligatur. Attamen exinde colligi nequit, in casu successionis singularis creditorem retentione ob diversa destitutum esse; sic enim fraudi debitorum adiuvaretur, qui per translationem pignoris in alium titulo singulari a retentione

se liberare possiat; immo ipsa lex un. C. cit. inanis foret, et beneficium retentionis in ea concessum evanesceret, si per successorem alterius in pignus, durior conditio creditoris evenire posset, hinc, ut ego quidem opinor, creditori licet, quoque successorem singularem ad relutionem se offerentem exceptione retentionis repellere, donec et id offert, quod aliunde antecessor debet; res enim cum onere transfit, et quae debitori obstar exceptione, successori quoque obstat, quum nemo melioris conditionis esse debet, quam auctor fuit, a quo ius in eum transvit<sup>a</sup>); aliter autem erit sentiendum, si consensu creditoris in successorem pignus translatum est; tunc enim l. un. cit. intuitu antecessoris renunciasse videtur<sup>b</sup>).

a) l. 175. §. 1. ff. de R. I.

b) Exinde iam patet, quod cessione pignoris a debitore facta, contra cessionarium detur retentio ob debita diversa cedentis, cum cessionario eadem obstant exceptiones, quae cedenti opponi possunt; haec vero retentio expirat, simulac creditor in cessionem consentit. Sic et in delegatione cessatus retentionis ob debita debitoris delegantis; delegatio enim semper si consentiente creditore; praeterea delegatione prior obligatio placit perimitur, hinc quoque retentio tanquam accessorium prioris obligacionis tollitur (§. 27).

### §. 30.

#### *In pignore legali cessat retentio ob diversa.*

Retentionem in omni pignore legitime constituto locum habere, supra §. 6. traditum est; hoc tamen indistincte ad retentionem ob diversa applicari nequit; sic enim iam pignus legale excipitur, quod ob diversa rerinere non licet<sup>a</sup>), sive sit traditum et in natura possessione creditoris, sive non; ipsa enim l. un. C. saepius cit. requirit, ut ipse creditor pignus obligaverit, verbis: *debitores eam solam pecuniam, cuius nomine, ea pignora obligaverunt, offerentes, audiri non oportere.* Iam in pignore legali oppignoratio non fit a debitor, sed a lege, hinc et in eo merito cessat retentio ob diversa<sup>b</sup>), et non aliter admittenda erit, quam si ab ipso debitor obligatio pignoris facta sit, quum et iam aliunde scimus, leges, quae de retentione disponunt, ad casus non expressos non esse extendendas. Accedit praeterea, quod pignus legale fit

fit necessarium, et sive consentiat debitor sive dissentiat, ex nuda legis dispositione oriatur, si tale quid egit, quod ad casus pignoris legalis pertinet. Sic et in casibus pignoris legalis, quos supra §. 6. numeravi, ubi quidem retentio locum invenit, exsulat retentio ob diversa, hinc nec locator mercede et debitibus, ratione locationis ortis, solutis, amplius illata ob alia debita potest retinere, quem in illicet versatur, dum sine legi permissione retentionem exercet; nec uxor, dote restituta, bona mariti potest retinere. et q. s. r.

a) MEVIVS P. 2. D. 114.

b) Contrarium tuetur MENKEN in diss. de retentione pignoris ob aliud debitum. C. 2. tb. 4. cui vero sententiae ob expressam legis dispositionem calculum adiicere nequoc.

c) (§. 5. n. c.)

### §. 31.

#### *Pignus iudiciale nequit retineri ob diversa.*

Porro et in pignore judiciali, licet creditorí tradito, proscripta est retentio ob diversa, ex eadem ratione l. un. C. cit. quae, ut debitor ipsemet pignus obliget, expressis verbis caver; ast in judiciali pignore obligatio contra debtoris voluntatem decernitur, hinc et missus in possessionem retentionem ob diversa exercere nequit; praeterquam immissio non fit unice in securitatem crediti, sed aequa ad praeparandam futuram distractionem. In arresto, ex eadem ratione cessat retentio ob diversa, dum non a debitore, sed a iudice hoc pignus constitutum est.

### §. 32.

#### *Pignus non traditum ob diversa retineri potest.*

Iam supra §. 6. dictum est, quod in pignore non tradito, res ipsa oppignorata equidem retineri non possit, bene tamen ius in pignore retinere liceat; iam ergo inquirendum erit, num ius in pignore non tradito ob diversa quoque retineri possit? IVST. HEN. BOEHMER in diss. de diverso pignoris et hypothecae iure §. 23. defendit, in pignore non tradito, quod hypothecam vocat, retentioni ob diversa locum non esse, quia retentio ei non datur,

E 3

qui

qui rem nunquam habuit, et quia soluto debito, ius pignoris non traditi exspirat. Huic autem sententiae subscribere non possum, quam nulla lege munitam invenio, et placet magis contraria. Primo enim lex, quae retentionem ob diversa permittit, inter pignus traditum et non traditum non distinguit, nec nostrum est distingue, ubi legis distinctio deficit<sup>a)</sup>. Porro ratio legis ad utrumque quadrat; est enim ratio in eo posita, ut fraudi debitorum non succurratur, qui aperte in dolo versantur, dum, ut creditor servet promissa et remittat pignus, desiderant, ast ipsimet quam promiserunt, debiti chirographarii solutionem, praestare recusant, et aequo sane dolose agit debitor, qui, debitis chirographariis non solutis, remissionem pignoris non traditi, quam traditi postulat. Deinde creditor re vera possidet pignus, licet traditum non sit, et in eius possessionem re ipsa constitutus est; possessio enim, vel naturalis est, vel civilis, et in pignore non tradito creditori sane possessio civilis denegari nequit, nec ulla lege cautum invenio, ad retentionem possessionem naturalem requiri; sed naturali excellit magis civilis possessio, ita ut ea quidem, sed non hac deficiente constitutio pignoris subsistere possit. Denique et haec mea opinio omni ICtorum autoritate destituta non est, nimirum mecum convenit celeb, ICtus BRUNNEMANN in Comment. in Codicem ad l. un. etiam ob chirograph. pec. n. II. Nullus itaque amplius dubito, quin et in pignore non tradito retentioni ob diversa locus sit, modo id notes, quod iam supra dictum est, quod, si de retentione pignoris non traditi sermo est, pignus pro iure in re sumatur, hinc et hic, uti alias, per denegationem retraditionis rei oppignoratae retentio exerceri nequit, sed mutatis mutandis, retentio ob diversa hic in denegatione remissionis iuris in re usque ad integrum solutionem consistit. Attamen et hic caveat creditor, ne per acceptationem solius debiti pignoratii retentio ob diversa evanescat, huius enim debiti solutione accepta ius in re statim exspirat, et res oppignorata ab omni nexus pignoratitio ipso iure liberatur; quin immo et debitor instrumenta debendi, si quae dedit, conditione sine causa repetrere potest, licet adhuc creditori aliunde quid debeat. Quum ergo pignus non traditum aequo ac traditum ob diversa retineri potest, qua retentionem durior conditio debitoris non evadit, qui pignus non traditum constituit, et creditori

ad

ad dimittendam hypothecam agenti possessionem pignoris cedere tenetur. Porro et creditor, cui res pignori tradita est, eam debitori reddere potest, modo hoc cum expressa protestatione de non remittendo iure pignoris fiat, et retentione ob diversa pari ac antea modo gaudet.

a) l. 8. ff. de public. in rem act.

### §. 33.

*An in pignore generali retentioni locus sit?*

Si pignus generale alicui constituitur, huic vel speciale simul adiungitur, vel minus. In illo casu dubitari nequit, quin retentioni ob diversa locus non sit; in hoc casu iterum rationes pro neganda retentione ob diversa defunt, dummodo non vitiōse sed cum consensu debitoris pignoris constitutio facta est, cum lex absque ulla distinctione inter pignus generale et speciale retentionem ob diversa largitur; praeterquam ex §. anteced. patet, quod non referat, num ex pignore res quaedam tradita sit, nec ne, hinc quoque deficiens traditio in pignore generali retentionem impedire nequit; attamen hic cavendum est, ne ob debita, pro quibus creditor iam pignora habet, retentio exerceatur (§. 22).

### §. 34.

*An pignus testamentariorum retineri possit?*

Si in testamento creditoris suo pignus constitui iubet testator, nil obstat, quo minus retineatur ob id, quod sine pignore defunctus debeat <sup>a)</sup>. Quid vero? si creditor ob id, quod heres debet, pignus retinere vult; obstat illi quod in debita heredis pignus non obligatum sit, sed elidit hanc exceptionem per regulam iuris, quod cum defuncto heres pro una habeatur persona; quid ergo? Ego in favorem creditoris litem dirimerem; nam per aditionem heres succedit in omnes obligationes defuncti, tam activas quam passivas, hinc et e momento aditae hereditatis heres ipse debet, quod testator debuit; si ergo hic pro eo, quod ipse debet, suo creditori pignus constitui vult, in hoc pignore ipse met

met heres pro debitore pignoratitio habendus est; dum autem contra hunc datur retentio ob diversa, consequens est, ut ob debita heredis pignus testamentarium bene possit retineri <sup>b)</sup> nec refert, utrum debita heredis tempore delatae hereditatis iam adfuerint, an postea contracta sint; nam in utroque casu ipse heres debet ex pignore, et contra debitorem indistincte retentio concessa est, sive sit ob debita antiqua, sive ob nova. In casu plerum heredum defunctus vel uni in specie pignoris dationem praecepit, vel minus; si illud, ob debita huius heredis unice datur retentio ob diversa, quia solus ex pignore obligatus est, dum coheredes ob onere pignoratitio liberavit testator; si hoc, omnes obligantur, ut pignoratitio curant, et ea facta contra omnes coheredes creditori competit retentio ob diversa et propria debita coheredum, quae et post divisionem durat, dum obligationes pignoratitiae ad ea pertinent, quae dividi nequeunt <sup>c)</sup>.

a) Conf. (§. 24)

b) Nec audienda est antithesis, quod pro suo tantum debito et non pro debitis alterius pignus testamentarium obligari voluit testator; defunctus enim prohibere nequit, ne heres in sua debita succedat, et ipse debeat, quod ille debuit, quamvis disponere possit, ut hac tantum conditione creditori pignus constituar, si retentioem ob debita heredis exercere non velit, et tunc certe aliter sentiendum erit.

c) Conf. BOEHMER in *Introd. in Ius Dig.* P. 1. p. 278. §. 7.

### §. 35.

#### *De qualitate debiti, ob quod pignus retineri potest.*

Iam supra monitum est, retentioem esse odiosam, et leges, quae de ea disponunt, merito restrictive interpraetandas esse, et hoc quoque ad l. un. C. cit. applicari debet, quae quidem retentioem pignoris ob diversa concedit, minime vero ob quaevis debita diversa, sed solummodo ob pecuniam chirographariam, seu mutuo datam, ut ex rubrica legis cit. et toto eius tenore patet; hinc et omnis retentio, quam quis ob alia debita, excepta pecunia chirographaria exercet, reprobanda est. Probe ramen mens legis ponderari debet. Retentio pignoris ob diversa equidem secundum verba legis unice ob pecuniam sine pignore creditam permittitur; ast sub voce pecuniae legislator comprehendi

dit

dit omnes res; quae in patrimonio sunt, a) hinc et ob omne id, quod quis sine pignore ex patrimonio suo credidit, permisso est retentio. Sunt ergo duo requisita debiti diversi; primum, ut res debitori sit credita; secundum, ut in patrimonio creditoris fuerit b); et his praesuppositis, omnes casus, qui huc pertinent, citra pulverem potes dijudicare. Hinc retentio, quae ob diversa exercetur, datur ob res emtas, commodatas, locatas, ob id quod actione negotoriorum gestorum repeti potest c), quod in rem versum est, ob operas locatas, cet. Neutiquam vero ob id, quod ius perditum est, nec ob lucrum cessans, ob damna aliunde data, ob indebita soltum et non restitutum, nec ob res promissas, stipulatas, iniuste retentas, spolio detortas, furto ablatas, nec ob poenas ex contractu vel delicto debititas, nec ob res ex iure cesso pro debitorie solutas d), erit q. s. r.

Qui ergo aliquid debet extra casum crediti, pro alia pecunia credita bene pignora dare potest creditori suo, nec periculum est, ut ob diversa pignus retineatur; et qui aliquid in pignus credidit, cuius valor summam crediti excedit, bene ex patrimonio plures res credere potest, et in pignore securus erit.

a) l. 5. pr. ff. de V. S.

b) Attamen ut in retentione in genere, ita et hic necessario requiritur, ut debitum diversum sit liquidum et certum; ubi enim plane non constat, an debitum adsit, seu non liquet, quale et quantum debetur, et res potius altioris indaginis est, retentio pignoris ob diversa locum non habet. Praeterea adhuc necesse est, ut debitum diversum, ob quod pignus retinendum est, tempore oblatae retainionis iam sit exigibile. Ob debita enim conditionata et in diem, pignus retineri nequit, cum antequam dies venit, debiti solutio exigi non potest. Unius tantum excipitur casus, si nempe de dilapidatione debitor suspectus est, tunc enim ob debita conditionata et in diem quoque exercere licet retentionem pignoris, conf. BRYNEMANN ad l. un. C. n. n. Ob id, quod creditori aliquo loco sine pignore debetur, retentio omnino datur; attamen non nisi ob solum debitum, minime vero ob damnum, quod ex non solutione in loco certo et determinato passus est creditor, ad quod reparandum conditione de eo, quod certo loco deberur, agere potest. Denique non refert, utrum debita chirographaria ante pignoris constitutionem, an postea contracta sint, cum ad constitutionem retentionis nulla conventione requiratur, et lex immediate facultatem retinendi producens, inter debita nova et antiqua non distinguit.

c) Retentio enim non est remedium subsidiarium, ut, ubi actione mihi consultum sit, eam exercere non possem, sed potius mea incertet, rem retinere, quam ea restituta debitum actione perlequi.

F

d) Si

Si debitor communis Caio debet ex pignore, Sempronius sine pignore, te Sempronius haec sua debita chirographaria Caio cedit, pro parata licet pecunia, hic tamen ob haec debita ex iure cesso orta pignus nequit retinere; Caius equidem credit, sed non credit debitori quod necessario requiriur. Si vero Caius solvit ad iussum debitoris, vel hac solutione debitoris negotia utiliter gessit, retentioni omnino locus erit; conf. MENKEN in dif. de retenzione pignoris ob aliud debitum. Cap. 3, tb. 8,

### §. 36.

*Ob debita socii et correi datur retentio.*

In societate universali omnia communia sunt, tam credita, quam debita, et alter socius contrahens alterum obligat, hinc quoque ex oppignoratione ab uno facta et alter tenetur; pignus itaque ab eo datum, qui in societate universali est, ob debita diversa tam ipsius contrahentis, quam socii eiusdem, valide retinetur. In societate generali vel particulari aliter se res habet; hic enim socius extra societatem contrahens alterum nullo modo obligat, hinc in oppignoratione ab uno facta, ob debita alterius retentio plane locum non invenit. Sin autem socius qualis contrahit, et potestatem ab altero socio accepit, nomineque totius societatis contractum init<sup>a)</sup>, alter socius ex hoc contractu omnino obligatur; horum requisitorum alterutro autem deficiente, deficit quoque obligatio socii non contrahentis. Sin itaque pignus ab uno socio iussu reliquorum et nomine totius societatis constitutum est, pignus ob debita omnium sociorum retinendum erit, nec distingui debet inter debita diversa, quae qua socii, et quae non qua tales contraxerunt, ob utraque enim pignus retineri potest.

Quando ratione pignoris duo se correaliter obligarunt, ob debita alterius idem ac in sociis retentioni locus erit; uterque enim correus debitor est, cum creditor fidem unius sequi, et aliter credere noluit, quam omnibus aequaliter obligatis. Solvens itaque debitum, pignus aliter liberare nequit, quam si id quoque solvit, quod correus sine pignore debet; huius enim debita revera quoque sua sunt; cessat hic quoque beneficium divisionis correis alioquin competens, quam obligatio pignoratia individua est, et uno solvente pignus non liberatur.

<sup>a)</sup> LEYSER, sp. 185, m. 1.

§. 37.

## §. 37.

*An ob debita filii pignus, a patre datum, retineri possit, et v. v.?*

Vulgatum est, patrem et filium pro una persona haberet<sup>a)</sup>, sed non ita accipiendum est, ut pater ex facto filii reteatur, et eius debita exsolvere cogi possit. Quoad obligationes enim pater cum filio pro una persona non haberur<sup>b)</sup>; nam filius citra iussum patris contrahens, illum non obligat, nisi ex versione in rem. Applices haec, quae so, ad contractum pignoratitum et videbis, quid hic circa retentionem iustum sit. Pignus enim a patre datum ob debita filii retineri potest, si huius debita iussu patris contraacta, vel si quidem contra suam voluntatem facta, ast in rem suam versa sunt. In utroque enim casu ipse pater tenetur, cum ob hanc debita filii conveniri potest; sed his casibus exceptis, nullatenus datur retentio in pignore paterno ob debita filii.

Pignora, quae filius constituit, vel ob mutuum, vel ob alia debita potuntur. In priori casu, obligatio pignoratitia plane invalida est, ita, ut ne ob eadem quidem retineri possit, sed vindicationi locus sit<sup>c)</sup>. In casu posteriori, contra filium valide retinetur, ast nunquam ob debita patris, quae filium non obligant, nisi heres patris existiterit, tunc enim liceret pignus a filio constitutum ob debita patris retinere.

a) Ad matrem hoc non pertinet, quippe quae iure romano liberos in potestate non habet.

b) de coccetti in Iure Controv. Lib. 1, tit 6, qu. 19.

c) Vid. supra §. 25.

## §. 38.

*An ob debita successoris retentioni locus sit?*

Cum res transit cum onere, debitoris successor singularis aequo ac universalis ad luendum pignus et ad solvendum debita chirographaria antecessoris obligatur, prout prolixius §. 29. demonstratum est, et ad integrum usque hanc solutionem contra successorem datur retentio. Sed nunc in quaestione incidit: an quoque ob debita successoris retentio exerceri possit? Me iudice,

dice, hic distingui debet inter successorem singularem et universalem. De universalis primum equidem hoc negandum videtur, quum nec contractus pignoratitius cum hoc successore initus sit, nec hic in oppignorationem consenserit, quod in quounque creditore pignoratio requiritur. Haec autem dubia parum valent. Heres enim per aditionem hereditatis pignora a defuncto constituta rata habet, et hoc sane idem est, utrum id, quod alter fecit, ut suum agnoscat, an ipse faciat <sup>a)</sup>. Deinde heres, ad quem omnes defuncti obligationes pervenient, ex contractu cum defuncto initio conveniri potest, cuius in locum prorsus succedit; hinc non refert, cum herede contractum non esse. Accedit denique, quod heredi aequae ac ipsis debitori obster exceptio doli mali, dum debitibus antecessoris oblatis retraditionem pignoris postulat successor, et ipse, quae creditori exsolvere promisit debita, solvere non vult; hinc inde colligo, ut ob debita successoris universalis retentio omnino exerceri possit. Contrarium autem obtinet in debitis successoris singularis; hic enim valide obiicit, quod contractus pignoratitius cum ipso initus non sit; obstant ei equidem eadem exceptiones, quae contra antecessorem comperebant, cum res cum onere transit, hinc et usque dum huius debita successor solvit, pignus omnino retinendum est; attamen exinde non sequitur, ut et ob id, quod ipse successor singularis debet, pignus retinere licet. Hic enim in locum antecessoris, ita non succedit, ut huius contractus tanquam suis considerandus sit. Excipio attamen casum, si a parte creditoris agnitus accessit, tunc enim prior debitor plane liberatur, et contractus pignoratitius inter successorem et creditorem agnoscentem denuo initus censemur.

<sup>a)</sup> In pignore testamentario maior adhuc adest ratio, cum ipse heres pignus constituit (§. 34.)

### §. 39.

#### *De debitore plures gerente personas.*

Prouti in uno homine plures adesse possunt personae, ita recte infertur, actum in una persona gestum alteram non obligare. Sic habes exemplum in l. 22. ff. de his quae ut indign. Constat enim, quod, qui querelam inofficiosi testamenti instituit,

et

et causa cadit, omnia emolumenta in testamento relicta perdat; ast in cit. lege tutori legata, sibi qua privato relicta, capere permittitur, quamvis pupilli nomine de inofficio testamento questus et devictus sit; duas enim tutor hic gessit personas. Sic et tres et plures in uno homine adesse possunt personae, et ob facta unius reliquae non tenentur <sup>a)</sup>, ita ut ex contractu pignoratitio, quem in una persona quis init, in altera conveniri non possit. Hinc inde prono quoque alveo fluit, pignus in una persona datum ob debita in altera contracta, retineri non posse, quamvis utriusque debitor unus idemque homo sit.

- <sup>a)</sup> Ratio, ut ego opinor, in muneribus publicis later, quae quis gerit; hinc optime concilianda cum huc thesi sunt dicta in §. 36. de sociis, quippe quorum status nullum inferat munus publicum, adeoque retentio contra eos semper exercetur, sive qua socii, sive extra societatem debita contraxerint; Itemque exinde patet, quod supra §. 16. de mandatario prolatum est.

### §. 40.

#### *De iuribus in pignore retento.*

Iura creditoris in pignore eadem sunt post retentionem, quam quae antea fuerunt. Nam licet retineatur, remanet tota pignoris natura, cum retentio tantum per recusationem obligatae solutionis debiti pignoratitii exercetur <sup>a)</sup>; itaque hac recusatione facta, creditor pignus potest distrahere, ex eo agere, sicuti quoque ad culpam levem tenetur, cet. A parte debitoris, omnia quoque eadem sunt, uti antea; licet enim illi adhuc retentionem ulteriorem tota debiti solutione impedire, et deinde actione pignoratitiae agere, porro et furtum possessionis committit, si pignus retentum aufert, cet.

- <sup>a)</sup> Conf. §. 12. Reprehendenda phrasis non est, retentio unius pignoris plus quam semel potest exerceri; nam quoties debitor pignoratitium debitum offerat, et creditor eius acceptationem denegat, toties retentio exercetur.

### §. 41.

#### *Quomodo tollatur retentio pignoris ob diversa?*

- Tollitur ius retentionis ob diversa: 1) toto debito soluto,  
2) totali pignoris interitu, 3) exstincto iure constituentis,

F 3

4) re-

4) Remissione pignoris, 5) lapsu temporis <sup>a)</sup>, 6) praescriptione pignoris <sup>b)</sup>, 7) distractione legitime facta. Hos modos uberius hic exponere superfluum duco, dum singularia circa retentionem non constituant, et in compendiis plena manu tractati sunt; sed dictis his modis solvendi ius retentionis accedunt; 8) cessio bonorum a debitore facta; tunc enim creditor pignus ad massam conferre tenetur <sup>c)</sup>, et diversimode collocatur cum pignore et cum debito chirographario; 9) limitatio ad unam caussam retentione ob diversa liberans; quisquis enim iuri pro se introducto renunciare potest; 11) acceptatio solius et totius debiti pignorarum (§. 13. et §. 22. n. a.); 12) exactio nominis oppignerati (§. 18.); 13) cautio in casu debiti diversi illiquidii oblata (§. 28.); 14) exercitium iuris offerendi a creditore posteriori (§. 17.); 15) actio contra fideiussorem instituta, qui exceptio nem cedendarum actionum opponit (§. 25.); 16) acceptatio fideiussoris in locum pignoris (§. 13. n. b.); 17) solutio ab ipso debitore facta, si fideiussor pignora dedit, qui aliunde adhuc debet (§. 27.)

<sup>a)</sup> I. 13. §. 11. ff. locat. cond.

<sup>b)</sup> Ius retentionis debitor usucapere nequit, quum in eius possessione constitutus non est.

<sup>c)</sup> LEYSER. sp. 231. m. I.

<sup>d)</sup> I. 11. §. 3. ff. de pignor. act. ibique GOTHOFR. D.



PRAE-

PRAENOBISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI,

S. P. D.  
PRAESES.

**S**ic iuvat ire! Ita TE hodie, AMICE SVAVISSIME!  
sed non solum TE, verum duo inter nostros hodie etiam opponen-  
tes alloqui possum. Certavimus adhuc, cum quarto commititone, iam  
negotii practici impedito, inter privatos parietes, non disputando solum,  
sed etiam elaborando et perorando tam scholastica, quam forensia, tam  
theoretica, quam practica. Sollertissimum mihi fuijlis consortium, et  
indefessum auditorium in auscultandis praelectionibus meis academicis,  
quas ex necessitate utilitateque vestra eo lubentius adornavi, quo maiori  
cuilibet docenti est gaudio, diligentibus modestisque secum ducere commi-  
tiones, quorum mores in tirocinio non solum eluxerunt, sed tironibus  
etiam subsequentibus tam bonum exhibuerunt exemplum, ut modestia  
studiose nostrae iuventutis, tam a Proceribus nostris, quam a civibus  
et exteris, singulari eaque digna praedicata sit laude.

Inter primos huius virtutis effectus numerari licet praesens erudi-  
tionis tuae specimen publicum, cui hoc unicum tantum addere placet, quod  
TIBI ob angustiam temporis defecit. Casus nempe existant adhuc  
plures, quam a TE allegati, iuxta ius Lubeicense et Rostochiense, qua-  
pignus eiusque retentionem tam ob eadem, quam ob diversa, adhuc la-  
tiores, et a iure communi aberrantes, quos coronodis loco paucis hic  
notare mihi liceat. Sic thesis tua §. 23, adducta de pignore a creditore  
iterum oppignorato, per art. 4. Tit. 4. Lib. 3. iuris Lubencensis et Rosto-  
chiensis hanc patitur mutationem, ut pignus, consentiente debitore alior-  
um translatum aut mutatum, non retentionem solum, sed etiam domi-  
nium possessoris intuitu primi debitoris efficiat. Verbis germanicis ita  
expofitus est hic casus: Verstattet aber derjenige, welcher die Wie-  
derlösung hat, dass das versetzte Gut an andere Oerter gebracht,  
oder sonst verwandelt, oder verändert werden möge, so hö-  
ret die Wiederlösung auf. Sicuti hoc singulare intuitu debitoris  
sancitum est, ita simile quid intuitu creditoris pignoratitii primi in his  
verbis reperies articuli subsequentis 5. verstattet dann derjenige, dem  
das Gut verpfändet war, dass dasselbe an andere Oerter gebracht,  
oder sonst verwandelt, oder verändert, und also aus seinem  
Gewehr kommt, so ist es nicht mehr sein Pfand.

Porro asserto tuo in §. 41. quod retentio pignoris cestet existente  
creditorum concursu, repugnat, ut iam observasti in §. 3. n. b. art. 11.  
Tit.

Tit. 4. Lib. 3. ubi retentio pignoris etiam in concursu creditorum usque ad redemptionem est permissa, ita ut nec nomen profiteri, nec concursus se immiscere opus sit creditoris pignoratitio.

Pari modo necessitas reddendarum rationum de fructibus perceptis in pignore antichretico rei immobilis a TE §. 28. n. c. defensa, cessat hic Rostochii iuxta articulum 12. modo allegati tituli nostri iuris statutarii. Similiter contra vindicationem rei alienae inscio et invito domino pignori datae, de qua §. 14. et sqq. egisti, et contra vindicationem rei pro alio debito pignoris nexu obligatae §. 27. a TE adductam, militant ambo nostra axiomata: Hand muss Hand warten, und da Iemand seinen Glauben gelassen, da muss er ihn wieder suchen, in Part. 3. Tit. 2. art. 1. et 2. iuris Rostochiensis adducta, et specia-  
liter in disputatione mea de rei vindicatione iuris Lubecensis überius exposita.

Tandem thesis tua maxime controversa §. 35. exposita, num retentio pignoris ob sola debita per contractum chirographarium inita, an etiam ob alia citra contractum orta, locum inveniat, in articulo 14. allegati iuris Rostochiensis ita est decisa, ut ad omnia debita, aut uti germanice sonat, alle seine Foderungen, absque ulla restrictione et limitatione extendatur retentio pignoris.

Praeter hos adductos iuris statutarii casus, alias defendisti theses iuris communis, a mea alienas sententias, in quibus fato te relinquam tuo, licet praefidio officii in disputando memor esse, non deero.

Hisce praemissis mihi metipsi gratulor, in TE nunc hodie com-  
mitionem publice exhibere posse, qui intra biennium tantos, me duce,  
fecerit studiorum progressus, ut multos fere superes, qui post quinquen-  
nalem solitum studii iuridici cursum aut officia iam ambire student publi-  
ca, aut summos in iure nostro honores cupiunt. Gratulor porro pa-  
triae et reipublicae litterariae de sive optimi civis et eruditissimi quon-  
dam viri nunc publice data. Gratulor parentibus TVIS unicum  
filium morigerissimum, et senectutis certissimum solamen. Gratulor  
denique myfarum sedi Göttingae florenti novum solertemque alumnum  
in TE mox recipiendum. Ibidem certe numerum conterraneorum  
dignitate fama ac industria inclitorum ita augebis, ut Megapolitanorum  
et Rostochiensium memoria adhuc magis beetur, quam tunc temporis  
iam fieri solebat, quum ante viginti quinque annos meum studiorum  
cursum Göttingae absolvebam, et postea magis magisque fuit beata.  
Abi hinc sub clypeo SVMMI NVMINIS, et abiens quoque recordare tam fautorum quam amicorum TVORVM hic relictorum. Vale  
faveque. Dabam Rostochii, d. XXI. Martii, anno MDCCCLXXX.

ULB Halle  
004 517 601

3



f

TA → OL

nur 1+8 verknüpft





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IVRIDICA  
DE  
RETENTIONE PIGNORIS  
TAM OB EADEM  
QVAM OB DIVERSA,

6

1780,2.

QVAM

ANNVENTE NVMINE DIVINO,

EX

CONSENSV AMPLISSIMI ORDINIS IVRECONSVLTORVM,  
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,

PRAESIDE

D O M I N O

D. WALTER VINCENT WIESE,

IVR. PROF. PVBL. ORD. FACVL. IVRID. SEN.

ET P. T. DEC.

PROMOTORE SVO LONGE HONORATISSIMO,

ANNO MDCCCLXXX. DIE XXI. MARTII,

P V B L I C O I N A V D I T O R I O

HORA CONSVETA

DEFENDET

AVTOR ET RESPONDENS

IOHANN CHRISTIAN SCHROEDER,

ROSTOCHIENSIS.



ROSTOCHI,  
TYPIS ADLERIANIS.